

possumus duplici debito unico pretio satisfacere, et per rem alias debitam novum debitum extinguere.

XLII. Ad confirmationem respondetur, nego quod Christus Dominus solum satisfecerit merendo nobis gratiam et auxilia, sed exhibendo Deo offenso tantum honoris per humiliationem personæ infinitæ, quantum ab eo per peccatum fuerat ablatum de honore infinito, quia per offensam hanc persona infinita Dei fuit humiliata, et postposita creaturæ in ratione ultimi finis. Unde satisfactio adæquata debet esse per hoc, quod persona similiter infinita humilietur ipsi Deo, sustinendo pœnam, quam Deus offensus taxaret, et hoc fuit Christus. Per hoc autem quod meruit nobis auxilia et gratiam, quibus nos operaremur, non poterat fieri satisfactio, quia hoc non esset satisfacere Christum, et pati pro peccatis nostris, sed dare nobis principia quibus ipsi satisfaceremus; sicut qui alicui debitori dat pecuniam, qua satisfaciat creditori, talis non dicitur proprie satisfacere, sed ille cui donatur pecunia; ita Christus Dominus proprie non satisfecisset pro nobis, cum tamen perpetuo clamet Scriptura, Christum redemisse nos, Gal. III, et passum esse pro peccatis nostris, Petr. II, et posuisse Deum in eo iniquitates omnium nostrum, Isai. LIII, et sic propriissime satisfecerit, quia propriissime redemit nos, et fuit fidejussor peccatorum: quod non ita proprie salvatur, si solum obtinuit nobis principia, quibus nos satisfaceremus pro peccatis.

XLIII. Imo non poterat illa satisfactio esse æqualis, quia hæc æqualitas non attenditur penes æqualitatem operum cum peccatis, aut gratiæ cum exclusione maculæ, sed penes æqualitatem personarum (scilicet offensæ et satisfaciens) quæ

humiliari illi debet; quod nunquam invenitur, nisi ista persona satisfaciens æqualis sit offensæ. Oportuit nihilominus Christum mereri nobis gratiam et auxilia, præter satisfactionem a se exhibitam Deo, quia illa satisfactio, etiamsi de se sit sufficientissima, tamen non applicatur nobis efficaciter et de facto, nisi nos velimus illi incorporari et communicare, quod non potest esse si volumus in peccato manere; sed oportet illud excludere, quod non fit sola fide, sed operibus et charitate, cum fides sola etiam sit in peccatoribus. Et ideo istam charitatem et gratiam, et reliqua auxilia debuit Christus Dominus promereri; non quidem ut per nostra opera aliquid adderemus satisfactioni Christi ex parte valoris et sufficientiæ, sed ex parte applicationis, qua Christus Dominus noluit omnibus dare et mereri, sed illis tantum quibus præordinatum est.

XLIV. Quod vero dicitur in argumento, gratiam se sola sine ullo favore extrinseco tollere peccatum, et remittere offensam respondetur, quod sine novo favore superaddito, et consecuto post ipsam gratiam, verum est quod gratia tollit et remittit culpam, non tamen sine favore antecedenti, et causativo ipsius gratiæ; gratia enim est effectus divinæ voluntatis, ut nobis gratiosæ et placatæ. Ex eo enim quod Deus reconciliatur, et placatur, nobis infundit gratiam, quæ habet aliquos effectus physicos, et alios morales; physicos, respectu sanctificationis, et emundationis animæ a macula peccati; et sic renovat nos interius, et facit sanctos per illam participationem divinæ naturæ; morales, respectu offensæ Dei, in quantum tollit peccatum in ratione offensæ, condonando illud, et sic est effectus divinæ voluntatis condonantis offensam; et sub hac ratione procedit a

favore divino, id est, ab ipsa voluntate ut favorabili nobis, quia favor est condonatio delictorum, et ideo non indiget superaddito favore, quia supponit ipsum.

XLV. Si tamen poneretur casus possibilis vel impossibilis, quod infunderetur gratia ut forma physica est, et non procederet a voluntate Dei condonante offensam, talis homo maneret sine peccato in ratione maculæ, et haberet emundationem interiorem ab illo, non tamen haberet effectus morales quantum ad remissionem offensæ, quia Deus nollet illam remittere, licet animam exornaret gratia; et talis homo non obtineret gloriam, licet haberet gratiam, quousque remissa esset offensæ, quia sine hac remissione non potest stare beatitudo, quæ est status omnium honorum aggregatione perfectus: illa autem gratia haberet tunc jus ad gloriam, sed impeditum, sicut detinentur animæ in purgatorio, licet habeant gratiam, quousque sit soluta tota pœna, imo post solutam totam pœnam detinebantur animæ patrum in limbo, quousque esset facta plena satisfactio per Christum, ita quod si Christus non veniret, nunquam glorificarentur; sed de his latius in materia de incarnatione et de justificatione.

XLVI. Ad secundum respondetur, non contrariari hoc, quod est dari nobis justificationem omnino gratis, et tamen præcedere pœnitentiam in ratione satisfactionis, et per modum dispositionis, nam gratis justificantur adulti, et tamen per dispositiones antecedentes, quæ conducunt ad obtinendam gratiam, licet imperfecte: itaque duplici ratione fit omnino gratis justificatio et remissio culpæ, non obstante quod præcedunt tot dispositiones, et contritio ipsa satisfactiva, saltem in aliquo priori naturæ: primo quidem, quia ipsamet contritio et di-

lectio, per quam quis disponitur ad gratiam, ab ipso Deo misericorditer tribuitur, et sic homo nihil offert de suo pro illa justificatione, nec recompensat proprie Deo ex parte personæ, quia totum illud provenit a Deo; et consequenter quando in vi talis satisfactionis gratis a Deo acceptæ solvitur debitum, omnino gratis dicitur solvi. Et hanc rationem assignat S. Thomas I parte, quæst. XXI, art. IV ad primum, servat tamen Deus adhuc in tali opere aliquem modum justitiæ, in quantum relaxat culpas propter dilectionem, et aliquid æqualitatis et recompensæ intervenit, saltem ex parte rei oblatæ, licet non ex parte personæ satisfaciens, quia totum illud gratis accepit a Deo.

XLVII. Secundo, dicitur fieri gratis justificatio, quia adhuc positis illis conditionibus et satisfactione, pœnitentiæ non adæquant debitum, neque offensam, in quantum est injuria personæ infinitæ. Unde remanet ipsi omnino liberum talem satisfactionem acceptare; quod si acceptat, est ex mero favore. Quando autem debitum aliquod est divisibile, bene stat quod qui reddit partem, extinguat debitum partialiter, ut si debentur centum, et redduntur decem, pro illa parte extinguitur debitum, et ita non fit omnino gratis, quia datur aliqua satisfactio ejusdem rationis: quando autem debitum consistit in indivisibili, ut honor, vel jus ad aliquid, et non restituitur id, quod ablatum est, nec pars illius, quia indivisibile est, sed aliquid inferioris rationis, tunc si creditor acceptat, omnino gratis acceptat, quia ex solo suo favore dependet illa commutatio gratuita inter suum debitum, et rem illam oblatam. Unde non opus habemus recurrere ad illam distinctionem de merito et satisfactione, licet distinctio vera sit.

XLVIII. Ad confirmationem respondetur, poenitentiam esse partem potentialem et imperfectam justitiæ. Et cum infertur, ergo aliquod debitum inducit Deo; distingo, aliquod debitum ex suppositione et beneficio Dei sic acceptantis, transeat; ex vi ipsius personæ satisfaciens, nego. Unde adhuc stat quod omnino gratia detur, quia quando tota obligatio fundatur in beneficio ipsius creditoris, non in actione aut valore ipsius debitoris, totum manet intra limites puræ gratiæ, et solum servatur modus quidam et forma justitiæ secundum quid et imperfecte, quatenus contritio quæ redditur, et gratia quæ confertur, aliquam proportionem servant in ordine supernaturali.

#### ARTICULUS II.

*In quo genere causæ contritio expellat peccatum.*

I. In articulo secundo hujus quæstionis LXXXV, solutione ad tertium docet S. Thomas: « Quod quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitii oppositi, sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto; sed poenitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Circa quæ verba oritur difficultas primo, cur dicatur poenitentia effective, et non formaliter expellere peccatum, cum contritio, quæ est præcipuus actus poenitiæ, sit formata charitate, et ita expellat peccatum formaliter, quia ille actus est amor amicitiae: ergo qui habet illum, formaliter est amicus Dei per talem actum; sed formalis amicitia formaliter expellit peccatum et offensam

Dei, quia implicat esse amicum et esse offensus sive inimicum: ergo id quod formaliter facit amicum, facit non esse inimicum: ergo non esse peccatorem. Potius ergo debuit S. Thomas dicere, quod poenitentia formaliter expellit peccatum, quam quod effective.

II. Secundo, est difficultas ex parte ipsius efficientiæ, quomodo verificetur quod poenitentia effective expellit peccatum, nam nulla causa efficiens expellit aliquam formam, nisi attingendo aliam, quæ formaliter expellat illam; sed poenitentia non producit effective aliquam formam expellentem formaliter peccatum: ergo neque effective expellit ipsum. Major est certa, quia expulsio, seu corruptio est effectus secundarius agentis, non primarius, si quidem corrumpere est destruere: nulla autem causa effectiva primo et per se destruit, sed primo et per se facit, et ex consequenti destruit, quia si solum destruit, nihil facit: ergo si per se efficit, per se aliquam formam vel effectum debet causare: unde consequitur quod alia forma destruitur, quæ cum ista non compatitur. Minor vero probatur, quia forma expellens peccatum est gratia in essentia animæ, et virtutes in potentiis; sed poenitentia non producit effective gratiam et virtutes, quia gratia solum fit a Deo effective et physice, ut dicitur 1-2, quæst. cx, art. 1: ergo, etc.

III. Nec sufficit dicere, quod poenitentia expellit peccatum effective instrumentaliter, vel solum moraliter, contra enim est, quod efficientia instrumentalis convenit poenitiæ sacramento, non poenitiæ ut virtuti, et extra sacramentum, de qua solum agimus hic. Neque etiam moraliter, quia moralis efficientia, nec proprie est effectiva cum tamen S. Thomas dicat poenitentiam effective expellere peccatum: nec conve-

nit solum poenitiæ, sed cuicumque alteri, quod possit habere rationem conditionis requisitæ, vel pacti vel congruitatis ad expulsionem peccati, quia totum hoc in genere morali est. Dices concurrere poenitentiam effective physice, non quidem producendo gratiam, sed disponendo subjectum ut illi infundatur et uniatur; et consequenter physice expellere peccatum oppositum gratiæ; sicut homo dicitur effective generare hominem, et expellere oppositam formam a materia, quia disponit illam ad recipiendam animam rationalem, nec tamen illam producit, sed producendo physicas dispositiones, expellit physice dispositiones oppositas, et oppositam formam. Sed contra; tum, quia homo generans, licet non producat animam, tamen physice unit illam ad materiam; poenitentia autem non unit gratiam subjecto, hæc enim ex ipso subjecto educitur, et ipsa educatione unitur per inhærentiam; tum, quia homo producit physice dispositiones ultimas ad introductionem animæ, quæ habent naturalem et necessariam connexionem cum illa; poenitentia autem non habet physicam et necessariam connexionem cum gratia, sed solum ex misericordia divina, quia avertentibus se a peccato, vult misericorditer gratiam infundere: ergo non potest dici quod physice expellit peccatum, quia non producit aliquid habens physicam repugnantiam cum illo: nisi enim Deus infunderet gratiam, poenitentia non expelleret peccatum, gratia autem infunditur misericorditer, et gratuito beneficio poenitenti, non ex debito naturali, sicut infunditur anima corpori disposito et organizado.

IV. Propter hæc et similia argumenta varie loquuntur auctores in hac parte. Et multi per unum extremum tenent, contritionem for-

matam charitate non effective, sed formaliter justificare, quæ est opinio Vazquez in secundo tomo prima, secundæ, quam nos in materia de justificatione rejicimus. Alii in alio extremo negant actum poenitiæ esse formam justificativam, sed solum dispositivam ad gratiam, et aliqui solum illi tribuunt rationem dispositionis moralis, alii vero physicæ. In præsentibus duo suppono: primum, non esse actum contritionis formam justificantem, sed solum disponentem ad gratiam, ut in materia de justificatione tractatum est; neque enim hic est locus disputandi illam quæstionem, licet disputatione sequenti aliquid de illa attingemus. Secundum est, non posse negari moralem efficientiam poenitiæ respectu justificationis, quia poenitentia operatur per modum satisfactionis, et expiationis ad remissionem peccati; satisfactio autem pertinet ad genus morale, quia respicit peccatum sub ratione debiti remittendi, et offensæ satisfaciendæ: quod totum fit secundum moralem æstimationem et exigentiam juris; non secundum aliquam physicam actionem destruentem ipsum debitum, ut etiam videmus in satisfactionibus humanis.

V. Et præterea peccatum, licet physice relinquat maculam, et privationem intrinsecam ipsius gratiæ in anima, tamen multos etiam effectus morales relinquit, ut hominem denominari peccatorem voluntarium, ex actu voluntario præterito non retractato; et Deum denominari offensus, ex actu injuriæ præterito: quem actum et denominationem inde ortam non potest tollere poenitentia effective et physice, sed moraliter, quia non sunt aliquid physicum, sed morale, seu denominationes rationis ex actu præterito relictæ: ergo oportet fateri hanc efficientiam moralem poenitiæ,